

Sed contra est quod Augustinus dicit (lib. de Bono conjug., cap. 18): *Acutius intelligant qui nec eum qui catholicum aut paganus habuit alteram, ordinandum censuerunt: quia de sacramento agitur, non de peccato.*

Praeterea, sicut idem dicit, femina si catechumena vel pagana vitata est, non potest inter Dei virgines post baptismum velari. Ergo eadem ratione nec bigamus ante baptismum ordinari.

Solutio. Respondeo dicendum, quod baptismus solvit culpas, et non solvit conjugia; unde cum ex ipso conjugio sequatur irregularitas, per baptismum tolli non potest, ut dicit Augustinus (ubi supra).

Ad primum ergo dicendum, quod in casu isto non tenetur opinio Hieronymi; nisi forte velimus eum exponere, quod loquitur quantum ad superiorem dispensationem.

Ad secundum dicendum, quod non oportet ut quod facit majus, faciat minus, nisi sit ad id ordinatum; et hoc deficit in proposito, quia baptismus ad irregularitatem tollendam non ordinatur.

Ad tertium dicendum, quod hoc intelligendum est de poenis quae consequuntur ex actuali peccato quasi inflictae, non infligendae; non enim aliquis virginitatem per baptismum recuperat, et similiter nec carnis indivisionem.

Ad quartum dicendum, quod baptismus conformat Christo quantum ad virtutem mentis, sed non quantum ad statum carnis, quae consideratur in virginitate, vel divisione carnis.

Ad quintum dicendum, quod illae irregularitates ex levibus causis, non perpetuis, erant contractae, et ideo etiam per illa sacramenta auferri poterant; et iterum erant ad hoc ordinatae, non autem baptismus ad hoc ordinatur.

ARTICULUS III.

Utrum cum bigamo liceat dispensare.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod cum bigamo non liceat dispensare. Quia extra. De bigamis (cap. Nuper, § Nos autem) dicitur: *Cum clericis, qui, inquantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi conjunxerunt matrimonialiter, tanquam cum bigamis, non licet dispensare.*

2. Praeterea, contra jus divinum non licet dispensare. Sed omnia quae in canone dicuntur, ad jus divinum pertinent. Cum ergo Apostolus in Scriptura canonica dicat (1 ad Timoth. 5, 2): *Oportet Episcopum non nisi unius uxoris virum esse; videtur quod non possit in hoc dispensari.*

3. Praeterea; nullus potest dispensare in his quae sunt de necessitate sacramenti. Sed non esse irregularem, est de necessitate sacramenti ordinis, cum significato, quae est sacramenti essentialis, desit. Ergo non potest in hoc dispensari.

4. Praeterea, quod rationabiliter factum est, non potest rationabiliter mutari. Si ergo potest rationabiliter dispensari cum bigamo, irrationabiliter est ei adjuncta irregularitas; quod est inconveniens.

Sed in contrarium est quod Lucius Papa dispensavit cum Panormitano Episcopo, qui erat bigamus (1).

Praeterea, Martinus Papa dicit: *Lector si viduam uxorem accipiat, in lectoratu permaneat; aut si ne-*

(1) Ut refert Glossa super dist. 54 Decreti cap. Lector, quod mox ex Martino citatur (Ex edit. P. Nicolai).

cessitas fuerit, subdiaconus fiat; nihil autem supra similiter si bigamus fuerit. Ergo ad minus usque ad subdiaconatum eum eo dispensari potest.

Solutio. Respondeo dicendum, quod bigamiae non est adjuncta irregularitas de jure naturali, sed de jure positivo; nec iterum est de essentialibus ordinis quod aliquis non sit bigamus; quod patet ex hoc quod si aliquis bigamus ad ordines accedat, characterem recipit; et ideo Papa potest dispensare in tali irregularitate totaliter, sed Episcopus quantum ad minores ordines. Et quidam dicunt, quod etiam quantum ad majores in illis qui volunt Deo in religione servire, propter vitandum religiosorum discursum.

Ad primum ergo dicendum, quod per illam Decretalem ostenditur eadem esse difficultas dispensandi in illis qui de facto cum pluribus contraxerunt, ac si de jure contraxissent; non quod subtrahatur simpliciter potestas Papae in talibus.

Ad secundum dicendum, quod hoc verum est quantum ad ea quae sunt de jure naturali, et quantum ad ea quae sunt de necessitate sacramentorum et fidei; sed in aliis quae sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eandem potestatem statuendi et destruendi quam tunc habuit, potest per eum qui primatum in Ecclesia tenet, dispensari.

Ad tertium dicendum, quod non qualibet significatio est de essentia sacramenti, sed tantum illa quae pertinet ad officium sacramenti; et talis non tollitur per irregularitatem.

Ad quartum dicendum, quod in particularibus non potest inveniri ratio quae omnibus competat aequaliter, propter eorum diversitatem; et ideo quod universaliter statutum est rationabiliter consideratis istis quae in pluribus accidunt, potest etiam per dispensationem rationabiliter removeri in aliquo casu determinato.

Expositio textus.

Si autem verbis exprinant quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi vel dolus; obligatio illa verborum . . . matrimonium facit. Et loquitur hic Magister quantum ad forum exterius Ecclesiae, in quo secundum ea quae apparent, iudicatur; et accipitur dolus non latens in corde, sed aliquo modo per signa exteriora expressus, ut cum se alio nomine vocat. Sed quantum ad forum conscientiae non est verum quod Magister hic dicit.

Eremiticam vitam elegit etc. Eremitae etiam quamvis obedientiam non promittant, tamen votum continentiae habent annexum, et ex more secundum determinatum tempus eorum votum solemnizatur.

Etiam si jan tonsuratus est. Non tamen tenetur tonsuram et habitum religionis deferre: quia vel non fuit vera professio ejus, si contradicente uxore votum emisit; vel si ea non contradicente, et tamen in saeculo remanente, votum professionis emisit; quamvis fuerit verum votum, suspenditur tamen ad tempus vivente uxore inquantum fuit in praedictum ejus. Unde post mortem uxoris tenetur ad religionem redire, nec potest aliam docere. Interim tamen non tenetur habitum deferre, vel tonsuram, tum propter vituperium uxoris, tum propter scandalum vitandum.

Cui copulatus in conjugio ulterius ad sacros ordines non accederet. Magister et Pelagius loquuntur secundum rigorem juris; unde hodie secundum jura nova non tenetur; quia non est aliquod obstaculum ex parte sacramenti, ut prius dictum est.

DISTINCTIO XXVIII.

Si consensus de futuro cum juramento faciat conjugium.

Hic quaeri debet, utrum consensus de futuro, addito etiam juramento, conjugium efficiat ut si quis promittat, vel etiam jurat, ut usque ad tempus placentium illam ducatur, et illa promittat vel iuret se illi nupturam; nunquid talis sponsio eos conjungit fecit? Si mutato proposito alter vel uterque ad alienam copulam transit, nunquid ob priorem sponsonem juramento subnixam secundae federationis pactum scinditur? Considera, quia longe aliud est promittere, et aliud facere. Qui promittit, nondum facit. Qui ergo promittit se in uxorem ducturum aliquam, nondum eam duxit uxorem; et quae spondit se nupturam, nondum nupsit. Quo modo ergo conjuges appellari possunt qui nondum contraxerunt, sed in futuro se contrahentes jurando promittunt? Item, si de juramento ad futurum pertinentis mox efficiuntur conjuges, cur jurant in futuro se facturos quod in praesenti efficiunt? Item, si ex quo jurant, mox efficiuntur conjuges, tunc rem hanc efficiunt quam jurant se facturos. Ideo dico, quod conjugium tunc non fit (1), sed futurum promittitur. Si vero ille post uxorem duxit, et illa marito nupsit, conjugium utriusque fuit, et non potest dissolvi. Praecedens ergo mendacium vel perjurium poenitentia est corrigendum; sed conjugium sequens non est dissolvendum. Non autem sic est quando juramentum conjugii praesentis consensus attestatio firmatur: quia post talem consensum, si quis alii se copulaverit, etiamsi prolem procreaverit, irritum debet fieri, et ipse ad priorem copulam revocari.

Quae videntur obviare praemissis, ex Novellarum instituto (2).

Praemissae autem sententiae videtur obviare illud quod leges tradunt (in Novellis vel Authenticis apud Antecessorem Julian.): « Si quis tacitis divinis Scripturis juraverit mulieri se eam legitimum habiturum, vel etiam si in oratorio tale sacramentum dederit, fit illi legitima uxor; quamvis nulla dos, nulla alia scriptura interposita. » Sed hic ostenditur quid fieri vel esse debet, non quid tunc fiat. Non enim per illud juramentum tunc fit uxor; sed fieri debet, quia juramentum est. Potest de illo juramento hoc dictum intelligi ubi de praesenti consentiunt, ac se invicem suscipiant. Illi etiam sententiae quae dictum est, solum consensum facere conjugium, videtur obviare quod Evaristus Papa (3) ait: « Alter legitimum non fit conjugium, nisi ab his qui super feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus sponsetur, et legibus detetur, et a sacerdote, ut mos est, benedicatur, et a paranymphis custodiatur, et solemniter accipiatur. » Item (ibid.): « Ista legitima scilicet esse coniugia; alter vero praesumpta, non conjugia, sed adulteria vel fornicationes sunt; nisi voluntas propria (4) suffragata fuerit, et vota succurrerint legitima. » Hoc autem non ita intelligendum est, tanquam sine enumeratione non possit esse legitimum conjugium; sed quia sine illis non habet decorem et honestatem debitam. In hujus enim sacramenti celebratione, sicut in aliis, quaedam sunt pertinentia ad substantiam sacramenti, ut consensus de praesenti, qui solus sufficit ad contrahendum matrimonium; quaedam

(1) Al. fuit.
(2) Al. Novellarum institutio.
(3) Epist. 4 ad Episcopos Africanos, et causa 50, quaest. 5, cap. 1 (Ex edit. P. Nicolai).
(4) Nicolai: vel fornicationes potius (ut supra); nisi voluntas etc.

Divisio textus.

Postquam Magister ostendit quod consensus est causa efficiens matrimonii, hic ostendit qualis debet esse consensus qui matrimonium facit; et dividitur in partes duas: in prima inquiritur, utrum consensus per verba de futuro, juramento confir-

vero pertinentia ad decorem et solemnitatem sacramenti, ut parentum traditio, sacerdotum benedictio, et hujusmodi; sine quibus legitime fit conjugium quantum ad virtutem (1), non quantum ad honestatem sacramenti. Sine his ergo non quasi legitime conjuges, sed quasi adulteri vel fornicatores conveniunt, ut illi qui clanculo nubunt, et utique fornicatores essent, nisi eis suffragaretur voluntas verbis expressa de praesenti, quae legitimum inter eos (2) facit matrimonium. Nam et consensus occultus de praesenti per verba expressus conjugium facit, licet non sit ibi honestus contractus; sed matrimonium non (3) sanxit consensus, qui in occulto fuit. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio Ecclesiae redire, et commanere quasi cum conjugio, quia non potest probari testibus contractus qui in occulto est factus. Quod si ipsi qui in occulto sibi consenserunt, eundem consensum voluntario in manifesto profiteantur, tunc utique propria voluntas suffragatur, et legitima vota succurrunt ad sciendum conjugium quod prius occulte fuerat contractum. Voluntas ergo verbis expressa in occulto ad hoc suffragatur ut fiat conjugium; manifeste vero expressa suffragatur, ut sanciat et roboret, ac liberum sit Ecclesiae de hoc iudicare, si expedierit.

De qua re sit consensus ille; an de carnali copula, an de cohabitatione, an de alio.

Hic quaeritur, cum consensus de praesenti matrimonium faciat, ejus rei consensus sit ille; an carnalis copulae, an cohabitationis, an utriusque. Si cohabitationis consensus matrimonium facit, tunc frater cum sorore (4), vel pater cum filia potest contrahere matrimonium. Si carnalis copulae, tunc inter Mariam et Joseph non fuit conjugium; proposuerat enim Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere juberet, secundum quod videtur Angelo dixisse (Luc. 1, 34): « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? » idem me non cognituram proposui. Neque enim quia virum tunc non cognoscebat, necesse erat inquiri quomodo posset habere filium; sed quia se nunquam cognituram proposuerat. Dicit enim Beda (lib. 1, cap. 5, in Lucae) quod in virginitate manere disposuerat. Si ergo contra suum propositum post consentit in carnalem copulam, videtur facta voti rea mente, etsi non opere violata. Dicimus ergo, quod consensus cohabitationis vel carnalis copulae non facit conjugium, sed consensus conjugialis societatis, verbis secundum praesens tempus expressis; ut cum vir dicit: Ego accipio te in meam, non dominam, non ancillam, sed conjugem. Quia enim non ancilla vel domina datur, ideo nec de summo, nec de imo a principio formata est, sed de latere viri ob conjugalem societatem. Si de summo fieret, ut de capite, videretur ad dominationem creata. Si vero de imo et pedibus, videretur ad servitutem subjicienda. Sed quia nec in dominam nec in ancillam assumitur, facta est de medio, id est de latere, quia ad conjugalem societatem assumitur. Cum ergo sic conveniunt, ut dicat vir, Accipio te in meam conjugem; et dicat mulier, Accipio te in meum virum; his verbis, vel aliis idem significantibus, exprimitur consensus non copulae carnalis, vel cohabitationis corporalis, sed conjugalis societatis; ex qua oportet eos cohabitare, nisi forte causa religionis pari voto corporaliter separarentur vel ad tempus, vel usque in finem (5).

(1) Nicolai addit vel veritatem.
(2) Al. in eos.
(3) Al. deest non.
(4) Al. deest vel.
(5) Al. vel ad tempus usque in finem.

matus matrimonium faciat; in secundo ostendit (1) quid sit consensus ille qui matrimonium facit, ibi: *Hic quaeritur, cum consensus de praesenti matrimonium faciat, ejus rei consensus sit ille.* Circa primum duo facit: primo determinat veritatem; se-

(1) Forte in quid.

cundo obicit in contrarium, ibi: *Praemissae autem sententiae videtur obviare illud quod leges tradunt.* Et circa hoc duo facit: primo obicit contra id quod immediate determinatum est; secundo contra id quod in praecedenti dist. dictum est, *solum consensum facere conjugium, videtur obviare quod Evaristus Papa ait, et utrumque dividitur in objectionem et solutionem, ut per se patet in littera.*

QUAESTIO I.

Hic quaeruntur quatuor: 1.º utrum juramentum consensui expresso per verba de futuro adveniens, matrimonium faciat; 2.º utrum carnalis copula eidem adveniens; 3.º utrum occultus consensus per verba de praesenti sufficiat ad matrimonium faciendum; 4.º in quid sit consensus qui matrimonium facit.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum juramentum adjunctum consensui per verba de futuro faciat matrimonium.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod juramentum adjunctum consensui per verba de futuro, faciat matrimonium. Nullus enim potest se obligare ut faciat contra jus divinum. Sed implere juramentum est de jure divino, ut patet Matth. 3, 55: *Reddes autem Domino juramenta tua.* Ergo per nullam obligationem sequentem potest evenire quod homo non debeat implere juramentum prius factum. Si ergo post consensum in aliquam per verba de futuro juramento firmatum, aliquis se alteri obligat per verba de praesenti, videtur quod nihilominus debeat juramentum primum servare. Sed hoc non esset, nisi juramento illo esset matrimonium perfectum. Ergo juramentum adjunctum consensui de futuro facit matrimonium.

2. Praeterea, veritas divina est fortior quam veritas humana. Sed per juramentum veritate divina firmatur aliquid. Cum ergo verba exprimentia consensus de praesenti, in quibus est sola humana veritas, matrimonium perficiant; videtur quod multo amplius id efficere possint verba de futuro, juramento firmata.

3. Praeterea, secundum Apostolum ad Hebr. (cap. 16), *omnis controversiae finis . . . est juramentum.* Ergo in iudicio saltem plus standum est juramento quam simplici verbo. Si ergo aliquis simplici verbo consentiat in aliquam per verba de futuro, juramento firmata, videtur quod iudicio Ecclesiae debeat compelli stare cum prima, et non cum secunda.

4. Praeterea, verba de futuro simpliciter prolata, sponsalia faciunt. Sed juramentum ibi aliquid operatur. Ergo facit plus quam sponsalia. Sed ultra sponsalia non est nisi matrimonium. Ergo facit matrimonium.

Sed contra, quod futurum est, non est. Sed juramentum additum non facit quin verba de futuro significant consensum de futuro. Ergo adhuc matrimonium non est.

Praeterea, postquam perfectum est matrimonium, non oportet quod alius consensus interveniat ad matrimonium. Sed post juramentum advenit alius consensus, qui matrimonium facit; alias frustra ju-

raretur illud esse futurum. Ergo non facit matrimonium.

Solutio. Respondeo dicendum, quod juramentum adhibetur pro confirmatione dictorum; unde illud tantum confirmat quod in dictis significatur, nec significatum mutat; et ideo cum verba de futuro ex ipsa significatione sua habeant quod matrimonium non faciant, quia quod futurum promittitur, nondum fit, etiam si juramentum adveniat, nondum est matrimonium factum, sicut Magister in littera dicit.

Ad primum ergo dicendum, quod implere juramentum licitum, est de jure divino, non autem implere juramentum illicitum. Unde si aliqua obligatio sequens juramentum faciat illud illicitum cum prius fuisset licitum, non derogat juri divino qui juramentum prius factum non servat; et ita est in proposito. Illicite enim juratur quod illicite promittitur; promissio autem de alieno est illicita; unde consensus sequens per verba de praesenti, quo aliquis transfert dominium sui corporis in aliam, facit praecedens juramentum esse illicitum, quod prius licitum erat.

Ad secundum dicendum, quod veritas divina efficacissima est ad firmandum illud cui adhibetur.

Unde patet solutio ad tertium.

Ad quartum dicendum, quod juramentum operatur aliquid non novam obligationem faciens, sed factam confirmans; et sic gravius peccat qui eam violat.

ARTICULUS II.

Utrum carnalis copula post verba de futuro consensum exprimentia faciat matrimonium.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod carnalis copula post verba de futuro consensum exprimentia faciat matrimonium. Quia magis est consentire facto quam verbo. Sed ille qui carnaliter commiscetur, facto consentit promissioni quam prius fecit. Ergo videtur quod multo magis per hoc fiat matrimonium quam si solis verbis de praesenti consensus fieret.

2. Praeterea, consensus non solum expressus, sed etiam interpretativus, facit matrimonium. Sed nulla potest esse major interpretatio consensus quam carnalis copula. Ergo per hoc perficitur matrimonium.

3. Praeterea, omnis conjunctio carnalis praeter matrimonium facta, est peccatum. Sed mulier non videtur peccare admittens sponsum ad carnalem copulam. Ergo per hoc fit matrimonium.

4. Praeterea, non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Sed quis non potest mulieri quam defloravit sub specie matrimonii, restituere ablatum, nisi eam in conjugium ducat. Ergo videtur quod si etiam post carnalem copulam cum alia contraxerit per verba de praesenti, teneatur ad primam redire; quod non esset, nisi inter eos esset matrimonium. Ergo carnalis copula post consensum de futuro facit matrimonium.

Sed contra est quod dicit Nicolaus Papa (dist. 27, quaest. 2, cap. *Sufficiat*): *Si consensus in nuptiis defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.*

Praeterea, quod consequitur aliquid, non facit ipsum. Sed carnalis copula sequitur matrimonium,

sicut effectus causam. Ergo non potest facere matrimonium.

Solutio. Respondeo dicendum, quod de matrimonio possumus loqui dupliciter. Uno modo quantum ad forum conscientiae; et sic in rei veritate carnalis copula non habet quod perficiat matrimonium, cujus sponsalia praecesserunt per verba de futuro, si consensus interior desit: quia verba etiam de praesenti exprimentia consensum, si consensus mentis desisset, non facerent matrimonium, ut supra dictum est. Alio modo quantum ad iudicium Ecclesiae: et quia in exteriori iudicio secundum ea quae foris patent, iudicatur; cum nihil possit expressius significare consensum quam carnalis copula, secundum iudicium Ecclesiae carnalis copula consequens sponsalia matrimonium facere iudicatur, nisi aliqua signa expressa doli vel fraudis appareant.

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui carnaliter commiscetur facto, consentit in carnalem copulam secundum rei veritatem; sed in matrimonio non consentit ex hoc ipso, nisi secundum interpretationem juris.

Ad secundum dicendum, quod interpretatio illa non mutat rei veritatem, sed iudicium quod exterius de rebus fit.

Ad tertium dicendum, quod si sponsa sponsum admittit credens eum velle matrimonium consummare, excusatur a peccato, nisi aliqua signa expressa fraudis appareant; sicut si sunt multum distantis conditionis, vel quantum ad nobilitatem, vel quantum ad fortunam, vel aliud signum evidens appareat. Sed tamen sponsum peccat et fornicando, et (quod plus est) fraude quam facit.

Ad quartum dicendum, quod in tali casu sponsus antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere in uxorem, si sint aequalis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, iam factus est impotens ad solvendum illud ad quod tenebatur: et ideo sufficit, si ei de nuptiis providerit: et ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus sit multo melioris conditionis, aut aliquod signum evidens fraudis fuerit: quia praesumi probabiliter potest, quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.

ARTICULUS III.

Utrum consensus in occulto factus per verba de praesenti faciat matrimonium.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod consensus in occulto factus per verba de praesenti non facit matrimonium. Res enim in potestate alterius existens non transfertur in potestatem alterius, nisi consentiente illo in cuius potestate erat. Sed puella erat in potestate patris. Ergo non potest per matrimonium transire in potestatem viri, nisi patre consentiente; et ita, si fiat in occulto consensus, etiam per verba de praesenti expressus, non erit matrimonium.

2. Praeterea, sicut in matrimonio est actus noster quasi de essentia sacramenti, ita in poenitentia. Sed sacramentum poenitentiae non perficitur nisi mediantibus Ecclesiae ministris, qui sunt sacramentorum dispensatores. Ergo nec matrimonium potest perfici in occulto absque sacerdotali benedictione.

3. Praeterea, baptismus, quia potest in occulto fieri, et in manifesto, non prohibetur ab Ecclesia fieri in occulto. Sed Ecclesia prohibet clandestina matrimonia. Ergo non possunt fieri in occulto.

4. Praeterea, inter eos qui in secundo gradu sibi attinent, non potest matrimonium contrahi, quia Ecclesia prohibuit. Sed similiter Ecclesia prohibuit clandestina matrimonia. Ergo non possunt esse vera matrimonia.

Sed contra, posita causa ponitur effectus. Sed causa efficiens matrimonii est consensus, per verba de praesenti expressus. Ergo, sive fiat in publico, sive in occulto, matrimonium sequitur.

Praeterea, ubicumque est debita forma et debita materia, ibi est sacramentum. Sed in occulto matrimonio servatur debita materia, quia sunt personae legitimae ad contrahendum; et debita forma, quia sunt verba de praesenti consensum exprimentia. Ergo est ibi verum matrimonium.

Solutio. Respondeo dicendum, quod sicut in aliis sacramentis quaedam sunt de essentia sacramenti, quibus omissis non est sacramentum, quaedam autem ad solemnitatem sacramenti pertinent, quibus omissis verum perficitur sacramentum, quamvis peccet qui omittit: ita etiam consensus expressus per verba de praesenti inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit: quia haec duo sunt de essentia sacramenti; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur ut matrimonium convenientius fiat; unde si omittantur, verum matrimonium est, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.

Ad primum ergo dicendum, quod puella non est in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat, sed quasi filia ad educandum; et ideo secundum hoc quod libera est, potest se in potestatem alterius absque consensu patris dare, sicut etiam potest aliquis vel aliqua intrare religionem absque consensu parentum, cum sit persona libera.

Ad secundum dicendum, quod actus noster in poenitentia quamvis sit de essentia sacramenti, non est tamen sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis; et ideo oportet quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis. Sed in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio: quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare: et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio quasi de essentia sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod etiam prohibitum est quod baptismus nullus recipiat nisi a sacerdote, nisi in articulo necessitatis. Matrimonium autem non est sacramentum necessitatis; et ideo non est similis ratio. Prohibentur autem clandestina matrimonia propter pericula quae inde evenire solent: quia frequenter in talibus est aliqua fraus ex altera parte; frequenter etiam ad alia conjugia transeunt, dum poenitent de istis quae subito facta sunt, et multa alia mala inde accidunt: et speciem turpitudinis praeter hoc habent.

Ad quartum dicendum, quod non sunt prohibita clandestina matrimonia quasi contra essentialia matrimonii existentia, sicut sunt prohibita matrimonia illegitimarum personarum, quae sunt materia indebita huic Sacramento; et ideo non est simile.

ARTICULUS IV.

Utrum consensus qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam. — (3 p., quaest. 29, art. 2.)

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod consensus qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam. Quia, sicut dicit Hieronymus (1) (habetur dist. 27, cap. *Voventibus*): *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed velle nubere, damnable est. Sed non esset damnable, nisi esset virginitati contrarium; cui nuptiae non contrariunt nisi ratione carnalis copulae. Ergo consensus voluntatis qui est in nuptiis, est in carnalem copulam.*

2. Praeterea, omnia quae sunt in matrimonio inter virum et uxorem, possunt esse licite inter fratrem et sororem, excepta carnali copula. Sed non potest licite inter eos fieri consensus matrimonialis. Ergo consensus matrimonialis est consensus in carnalem copulam.

3. Praeterea, si mulier dicat viro, *Consentio in te, ut non cognoscas me*, non est consensus matrimonialis: quia aliquid est ibi contra substantiam praedicti consensus. Sed non esset, nisi dictus consensus esset in carnalem copulam. Ergo etc.

4. Praeterea, in qualibet re initium consummationi respondet. Sed matrimonium consummatur per carnalem copulam. Ergo, cum initietur per consensum, videtur quod consensus sit in carnalem copulam.

Sed contra, nullus consentiens in carnalem copulam est virgo mente et carne. Sed beatus Joannes Evangelista post consensum nuptialem est virgo mente et carne. Ergo non consentit in carnalem copulam.

Praeterea, effectus respondet causae. Sed consensus est causa matrimonialis. Cum ergo de essentia matrimonii non sit carnalis copula, videtur quod nec consensus qui matrimonium facit, sit in carnalem copulam.

Solutio I. Respondeo dicendum, quod consensus qui matrimonium facit, est consensus in matrimonium: quia effectus proprius voluntatis est ipsum volitum; unde sicut se habet carnalis copula ad matrimonium, ita consensus qui matrimonium causat, est in carnalem copulam. Matrimonium autem, ut supra dictum est, non est essentialiter ipsa conjunctio carnalis; sed quaedam associatio viri et uxoris in ordine ad car-

(1) Sub Hieronymi nomine refertur loc. cit.: sed apud illum non extare appendix ibidem notat. Sub nomine Augustini potius refert Glossa in epist. 1 ad Tim. cap. 5, super illud: *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (Ex edit. P. Nicolai).

DISTINCTIO XXIX.

Coactio excludit consensum conjugalem.

Oportet autem consensum conjugalem liberum esse a coactione. Coactus enim consensus, qui nec consensus appellari debet, conjugium non facit, sicut testatur Urbanus Papa scribens Sancto (1) Regi Aragonum in haec verba (habentur

(1) Al. Saceratio.

nalem copulam, et alia quae ex consequenti ad virum et uxorem pertinent, secundum quod eis datur potestas invicem respectu carnalis copulae; et haec associatio conjugalitatis copula dicitur. Unde patet quod bene dixerunt illi qui dixerunt, quod consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite. Non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa: quia potestas carnalis copulae, in quam consentitur, est causa carnalis copulae, sicut potestas utendi re sua est causa usus.

Ad primum ergo dicendum, quod consensus in matrimonium ideo est damnable post votum virginitatis, quia per talem consensum datur potestas ad id quod non licet; sicut peccaret qui daret potestatem alteri accipiendi illud quod ipse in deposito habet, non solum in hoc quod ei actualiter traderet. De consensu autem beatae Virginis infra dicetur.

Ad secundum dicendum, quod inter fratrem et sororem non potest esse potestas in invicem ad carnalem copulam, sicut nec licite carnalis copula; et ideo ratio non consequitur.

Ad tertium dicendum, quod illa conditio explicita non solum actui, sed potestati contrariatur carnali copulae; et ideo est contraria matrimonium.

Ad quartum dicendum, quod initium matrimonium respondet consummato, sicut habitus vel potestas actui qui est operatio.

Rationes autem contrariae ostendunt quod non sit consensus in carnalem copulam explicite; et hoc verum est.

Expositio textus.

Sine quibus legitime fit quantum ad virtutem (1), non honestatem sacramenti. Contra. In secundis nuptiis non est beneficium sacerdotale, et tamen est honestas matrimonii. — Et dicendum, quod non est ibi honestas quantum ad perfectam significationem matrimonii; unde propter defectum sacramenti beneficium intermitterit.

Matrimonium non facit consensus etc. Hoc intelligitur quantum ad iudicium Ecclesiae; sed quantum ad iudicium conscientiae solus consensus matrimonium facit firmum.

Quia non de capite, nec de pedibus, sed de latere. Videtur quod sit de excellentissimo loco sumpta: quia cor est membrorum principalissimum, iuxta quod sunt costae. — Et dicendum, quod cor est nobilissimum quantum ad originem vitae; sed caput quantum ad complementum virtutum, quibus fit motus et sensus, in quibus consistit vita sensitiva.

(1) Nicolai addit (vel veritatem).

in Deer., causa 51, quaest. 2, cap. a De neptis tuae: "De neptis tuae conjugio, quam te euidam militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione confirmasti (1), hoc aequitate dictante decrevimus (2), ut si illa virum illum omnino, ut dicitur, renuit, et in eadem vo-

(1) Nicolai firmasti.
(2) Idem decernimus.

luntate persistit ut viro illi se prorsus denegat nuptiarum, nequaquam eam invitam ac renitentem ejusdem viri cogas conjugio copulari. " Idem (ibid. cap. a Si verum. "): " Si verum esse constitit quod nobis Legati Jordanis Principis retulerunt, scilicet quod ipse coactus et dolens filiam suam nolentem (1), fletentem, et pro viribus renitentem Raynaldo desponsaverit; quoniam legum et canonum auctoritas talia sponsalia non approbat, ne ignorantibus leges et canones nimis durum (2) videatur. Ita sententiam temperamus, ut si Princeps cum assensu filiae id quod cooptant est, pericere voluerit, concedamus. Sin aliter res se habet, Legatus noster utrasque partes audiat; et si nihil fuerit ex parte Raynaldi quod amplius impediat, ab ipso Jordane sacramentum, quo constant haec quae dicta sunt, accipiat; et nos canonum et legum scripta sequentes, deinceps non prohibeamus quin alii viro, si voluerit, praedicta ejus filia tantum in Domino nubit. " Ex his apparet conjugium fieri inter consentientes et spontaneos, non inter renitentes et invitos. Verumtamen qui inviti et coacti conjuncti sunt, si postea ab aliquo temporis spatio sine contradictione et

(1) Al. deest nolentem.

(2) Addit Nicolai id quod dicimus.

Divisio textus.

Postquam ostendit Magister quod consensus sit causa matrimonii, hic ostendit quibus impediatur consensus, ne matrimonium efflicere possit; et dividitur in partes duas: in prima determinat de impedimento coactionis; in secunda de impedimento erroris, 50 dist., ibi: *Nec solum coactio impedit vel excludit consensum, sed etiam error.* Prima in tres: in prima ostendit quod coactus consensus non facit matrimonium; in secunda ostendit quod si post coactionem liber consensus adveniat, matrimonium verum erit, ibi: *Verumtamen qui inviti et coacte conjuncti sunt, si postea ab aliquo temporis spatio sine contradictione et querimonia cohabitaverint, facultate discedendi vel reclamandi habita, consentire videntur;* in tertia, qualiter intelligendus sit aliquis consentire, ibi: *Consentire autem probatur.*

QAESTIO I.

Hic quaeruntur quatuor: 1.º utrum aliquis consensus possit esse coactus; 2.º utrum aliqua coactio cadat in constantem virum; 3.º utrum consensus coactus faciat matrimonium; 4.º utrum aliquis possit cogi a patre ad contrahendum matrimonium.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum aliquis consensus possit esse coactus.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod nullus consensus possit esse coactus. Coactio enim in liberum arbitrium cadere non potest secundum aliquem statum ejus, ut in 2 lib., dist. 25, quaest. 1, art. 1, dictum est. Sed consensus est actus liberi arbitrii. Ergo non potest esse coactus.

2. Praeterea, violentum, quod est idem quod coactus, secundum Philosophum (3 Ethicor., cap. 5 vel 2), est cuius principium est extra, nil conferente vim passo. Sed consensus omnis principium est intra. Ergo nullus consensus potest esse coactus.

3. Praeterea, omne peccatum in consensu perficitur. Sed illud quo perficitur peccatum, cogi non potest. Ergo consensus non potest esse coactus.

querimonia cohabitaverint, facultate discedendi vel reclamandi habita, consentire videntur, et consensus ille consequens supplet quod praecedens coactio tulerat (1).

In Libro Pandectarum.

" Consentire autem probatur qui evidenter non contra dicit, secundum illud: In sponsalibus eorum consensus exigendus est quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen semper patri filia consentire, nisi evidenter dissentiat. Item: Sponsalia, sicut nuptiae, consensus sunt contrahendum; et ideo sicut in nuptiis, ita et in sponsalibus patrifamilias filiam consentire oportet: quae si patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur. "

(1) Addit Nicolai. Unde Clemens III Extra. de sponsalibus et Matrimonii, cap. *Ad vid.*: Quamvis (inquirit) undecim annos habens ab invito invita fuisset viri tradita et renitens, tamen quia postmodum per annum et dimidium ei cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda res: nec de cetero recipiendi sunt testes ad probandum quod in eundem non consenserit, cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat. "

potest; quia secundum Augustinum (lib. 1 Retract., cap. 9), nullus peccat in eo quod vitare non potest. Cum ergo vis a Jurista definiatur esse majoris rei impetus, qui repellere non potest; videtur quod consensus esse non possit coactus vel violentus.

4. Praeterea, dominium libertati oppositur. Sed coactio ad dominium pertinet, ut patet in quadam definitione Tullii (1): dicit enim, quod vis est impetus dominantis retinens rem infra terminos alienos. Ergo vis in liberum arbitrium non cadit; et ita nec in consensum, qui est actus ejus.

Sed contra, illud quod esse non potest, non potest aliquid impedire. Sed coactio consensus impedit matrimonium, ut in littera dicitur. Ergo consensus potest cogi.

Praeterea, in matrimonio est quidam contractus. Sed in contractibus potest esse voluntas coacta; unde legislator in integrum restitutionem adjudicat, ratum non habens quod vi, sive metus causa, factum est. Ergo etiam in matrimonio potest esse consensus coactus.

Solutio. Respondeo dicendum, quod duplex est coactio vel violentia. Una quae facit necessitatem absolutam; et tale violentum dicitur a Philosopho violentum simpliciter; ut cum quis alium corporaliter impellit ad motum. Alia quae facit conditionatam necessitatem; et hanc vocat Philosophus violentum mixtum; sicut cum quis projicit merces in mare, ne periclitetur; et in isto violento, quamvis hoc quod fit, non sit per se voluntarium, tamen consideratis circumstantiis hic et nunc voluntarium est. Et quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium; unde haec violentia vel coactio potest esse in consensu, qui est actus voluntatis; non autem prima. Et quia haec coactio fit ex hoc quod timetur aliquod periculum imminens; ideo ista vis idem est quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo; sed prima vis cadit etiam in corporalibus actibus. Et quia legislator non considerat solum interiores actus, sed magis exteriores, ideo per vim

(1) Apud Tullium non occurrit, licet ex illo citet et Albertus Magnus in hunc locum (Ex edit. P. Nicolai).

intelligit coactionem simpliciter; propter quod vim contra metam dividit. Sed nunc agitur de consensu interiori, in quem non cadit coactio seu vis, quae a metu distinguitur; et ideo, quantum ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus. Est autem metus, secundum Jurisperitos, *instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio*.

Et per hoc patet solutio ad objecta: nam primae rationes procedunt de coactione prima, secundae de secunda.

ARTICULUS II.

Utrum coactio metus cadat in constantem virum.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod coactio metus non cadat in constantem virum. Quia de ratione constantis est quod non trepidet in periculis. Cum ergo metus sit trepidatio mentis ratione periculi imminens, videtur quod non cogatur metu.

2. Praeterea, omnium terribilium finis est mors, secundum Philosophum in 5 Ethic. (cap. 9, vel 14), quasi perfectissimum inter terribilia. Sed constantes non coguntur morte: quia fortis etiam pericula mortis sustinet. Ergo nullus metus cadit in constantem virum.

3. Praeterea, inter alia pericula praecipue timetur a bonis periculum famae. Sed timor infamiae non reputatur timor cadens in constantem virum; quia, ut dicit lex (lib. 4 Digesti veteris tit. 2, §. 7), *timor infamiae non continetur illo edicto quod metus causa factum est*. Ergo nec aliquis alius metus cadit in constantem virum.

4. Praeterea, metus in eo qui metu cogitur, peccatum relinquit: quia facit eum promittere quod non vult solvere; et sic facit eum mentiri. Sed non est constantis aliquid etiam peccatum minimum pro aliquo timore facere. Ergo nullus metus cadit in constantem virum.

Sed contra, Abraham et Isaac constantes fuerunt. Sed in eis cecidit metus: quia ratione metus dixerunt uxores suas esse sibi sorores. Ergo metus potest cadere in constantem virum.

Praeterea, ubicumque est violentum mixtum, est aliquis metus cogens. Sed aliquis, quantumcumque constans, potest pati tale violentum: quia si sit in mari, merces proiecit tempore naufragii. Ergo metus potest cadere in constantem virum.

Solutio. Respondeo dicendum, quod cadere metum in aliquem, est aliquem metu cogi. Cogitur autem aliquis metu, quando aliquid facit quod alias non vellet, ad evitandum aliquid quod timet. In hoc autem constans ab inconstanti distinguitur quantum ad duo. Primo quantum ad qualitatem periculi quod timetur; quia constans sequitur rationem rectam, per quam scit quid prosit dimittendum vel faciendum (1). Semper autem minus malum vel majus bonum eligendum est; et ideo constans ad minus malum sustinendum cogitur metu majoris mali; non autem cogitur ad majus malum ut vitet minus malum. Sed inconstans cogitur ad majus malum propter metum minoris mali; sicut ad peccatum propter metum corporalis poenae. Sed pertinax e contrario non potest cogi etiam ad minus malum sustinendum vel faciendum, ut evitet majus malum;

(1) Al. scit aliquid pro quo scit dimittendum, vel faciendum.

unde constans est medius inter inconstantem et pertinacem. Secundo differunt quo ad aestimationem periculi imminens: quia constans non nisi ex forti aestimatione et probabili cogitur; sed inconstans ex levi. Proverb. 18, 1: *Fugit impius nemine persequente*.

Ad primum ergo dicendum, quod constans, sicut de forti Philosophus dicit (5 Ethic., cap. 9), intrepidus est, non quod omnino non timeat, sed quia non timet quae non oportet, vel ubi vel quando non oportet.

Ad secundum dicendum, quod peccata sunt maxima malorum; et ideo ad hoc nullo modo potest homo constans cogi; immo magis debet homo mori quam talia sustinere, ut etiam Philosophus, in 5 Ethic. (cap. 1), dicit. Sed quaedam damna corporalia sunt minoria quibusdam aliis, quae sunt inter praecipua quae ad personam pertinent; sicut mors, verbera, deonestatio per stuprum, et servitus; et ideo ex istis constans cogitur ad alia damna corporalia sustinenda; et haec continentur hoc versu:

Stupri, sive (1) status, verberis, atque necis.

Nec differt, utrum haec pertineant ad personam propriam, vel uxoris, vel filiorum, aut aliorum hujusmodi.

Ad tertium dicendum, quod infamia quamvis sit magnum damnum, tamen ei de facili occurri potest; et ideo non reputatur cadens in constantem virum metus infamiae secundum jura.

Ad quartum dicendum, quod constans non cogitur ad mentium, quia tunc vult dare; sed tamen postea vult petere restitutionem, vel saltem iudicii denuntiare (2), si se promissum non petitorum restitutionem. Non potest autem promittere se non denuntiatum, cum hoc sit contra bonum iustitiae, ad quod cogi non potest, ut scilicet contra iustitiam faciat.

ARTICULUS III.

Utrum consensus coactus tollat matrimonium.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod consensus coactus non tollat matrimonium. Quia sicut ad matrimonium requiritur consensus, ita ad baptismum requiritur intentio. Sed coactus timore ad accipiendum baptismum recipit sacramentum. Ergo et coactus ad consentiendum aliquo timore matrimonio (3) obligatur.

2. Praeterea, violentum mixtum, secundum Philosophum (5 Ethic., cap. 1, vel 2), plus habet de voluntario quam de involuntario. Sed non potest aliter consensus coactus esse nisi per violentum mixtum. Ergo non omnino excluditur voluntarium; et ita adhuc est matrimonium.

3. Praeterea, ei qui consentit in matrimonio coactus, consulendum videtur quod in matrimonio illo stet: quia speciem mali habet promittere et non solvere, a quo Apostolus vult non abstinere. Hoc autem non esset, si consensus coactus omnino matrimonium tolleret. Ergo etc.

Sed contra est quod Decretalis (extra. de Sponsalibus) dicit: *Cum consensus locum non habeat ubi*

(1) An. servi?

(2) Al. pronuntiare.

(3) Nicolaus ad matrimonium.

metus vel coactio intercedit, necesse est ut ubi communis consensus requiritur, coactionis materia repellatur. Sed in matrimonio requiritur communis consensus. Ergo etc.

Praeterea, matrimonium significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quae fit secundum libertatem amoris. Ergo non potest fieri per coactum consensum.

QUAESTIUNCULA II.

Uterius. 1. Videtur quod consensus coactus saltem ex parte cogentis faciat matrimonium. Quia matrimonium est signum spiritualis conjunctionis. Sed spiritualis conjunctio, quae est per caritatem, potest esse ad eum qui non habet caritatem. Ergo et matrimonium ad eum qui non vult.

2. Praeterea, si illa quae fuit coacta, postmodum consentiat, erit verum matrimonium. Sed iste qui coegit primo, ex consensu illius non ligatur. Ergo ex primo consensu ligatur matrimonium.

Sed contra, matrimonium est relatio equiparantiae. Sed talis relatio est aequaliter in utroque. Ergo si sit impedimentum ex parte unius, non erit matrimonium ex parte alterius.

QUAESTIUNCULA III.

Uterius. 1. Videtur quod nec per consensum conditionatum fiat matrimonium. Quia quod sub conditione ponitur, non simpliciter enuntiat. Sed in matrimonio oportet esse verba simpliciter experientia consensus. Ergo conditio alienius consensus non facit matrimonium.

2. Praeterea, matrimonium debet esse certum. Sed ubi dicitur aliquid sub conditione, ponitur illud sub dubio. Ergo talis consensus non facit matrimonium.

Sed contra, in aliis contractibus fit obligatio sub conditione, et stat stante conditione. Ergo cum matrimonium sit contractus quidam, videtur quod possit fieri per conditionatum consensum.

Solutio I. Respondeo dicendum ad primam questionem, quod vinculum matrimonii perpetuum est; unde illud quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutum in integrum: quia talis coactio metus qui cadit in constantem virum, tollit matrimonium, et non alia. Constans autem vir iudicatur virtuosus, qui est mensura in omnibus operibus humanis, ut Philosophus dicit in 5 Ethicor., cap. 9 vel 10. Quidam autem dicunt, quod si adsit consensus, quamvis coactus, interius est matrimonium quantum ad Deum, sed non quantum ad statum Ecclesiae, quae praesumit ibi non fuisse consensum interiorem propter metum. Sed hoc nihil est: quia Ecclesia non debet praesumere de aliquo peccatum quousque probetur. Peccavit autem, si dixit se consentire, et non sensit. Unde Ecclesia praesumit eum sensitisse, sed iudicat illum consensum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium.

Ad primum ergo dicendum, quod intentio non est causa efficiens sacramenti in baptismo, sed solum eliciens actionem agentis; sed consensus est causa efficiens in matrimonio; et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod ad matrimonium

non sufficit quodcumque voluntarium, sed voluntarium complete: quia debet esse perpetuum; et ideo per violentum mixtum impeditur.

Ad tertium dicendum, quod non semper debet induci ad hoc quod in matrimonio ille stet, sed solum quando timetur periculum de dissolutione: alias autem non peccat: quia non solvere promissa quae nolens facit, non est species mali.

Solutio II. Ad secundam questionem dicendum, quod cum matrimonium sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio; ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero; quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut mater non habens filium; et ideo communiter dicitur (1), quod matrimonium non quadam.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis aetuis amantis possit transire in non amantem, tamen unio inter eos non potest esse nisi sit mutua amatio; et ideo dicit Philosophus in 8 Ethicor. (cap. 1), quod ad amicitiam, quae in quadam unione consistit, requiritur redamatio.

Ad secundum dicendum, quod ex consensu libero illius qui prius coactus est, non fit matrimonium, nisi inquantum consensus praecedens in altero adhuc manet in suo vigore; unde si dissentiret, non fieret matrimonium.

Solutio III. Ad tertiam questionem dicendum, quod conditio apposta, aut est de praesenti, aut de futuro. Si de praesenti, et non est contraria matrimonio, sive sit honesta sive inhonesta, stat matrimonium stante conditione, et ea non stante non stat; sed si sit contraria bonis matrimonii, non efficit matrimonium, sicut etiam supra de sponsalibus dictum est. Si autem sit conditio de futuro: aut est necessaria, sicut solem oriri cras; et tunc est matrimonium, quia talia futura jam sunt praesentia in suis causis: aut est contingens, sicut datio pecuniae, vel acceptatio parentum; et tunc idem est iudicium de tali consensu sicut de consensu qui fit per verba de futuro; unde non facit matrimonium.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

ARTICULUS IV.

Utrum aliquis praecepto patris possit compelli ad matrimonium.

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod aliquis praecepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum. Coloss. 3, 20: *Filii obedite parentibus vestris per omnia*. Ergo etiam in hoc eis obedire tenentur.

2. Praeterea, Genes. 28, Isaac praecepit Jacob quod non acciperet uxorem de filiabus Chanaan. Non autem praecepisset, nisi de jure praecepere potuisset. Ergo filius in hoc tenetur obedire patri.

3. Praeterea, nullus debet promittere, praecipue per iuramentum, pro illo quem non potest cogere ad servandum. Sed parentes promittunt futura matrimonia pro filiis, et etiam iuramento firmant. Ergo possunt praecepto cogere filios ad implendum.

4. Praeterea, pater spiritualis, scilicet Papa,

(1) Al. dicendum.

potest compellere praeepto ad matrimonium spirituale, scilicet ad episcopatum accipiendum. Ergo et pater carnalis ad carnale matrimonium.

Sed contra, patre imperante matrimonium, filius potest sine peccato religionem intrare. Ergo non tenetur ei in hoc obedire.

Praeterea, si teneretur obedire, sponsalia per parentes contracta absque consensu filiorum essent stabilia. Sed hoc est contra iura. Ergo etc.

Solutio. Respondeo dicendum, quod cum matrimonium sit quaedam quasi servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad matrimonium per praeeptum, cum sit liberae conditionis, sed potest eum inducere ex rationabili causa; et tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad praeeptum patris; ut si illa causa cogat de necessitate vel de honestate, et praeeptum similiter cogat, alias non.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Apostoli non intelligitur in illis in quibus sicut pater est liber, ita et filius; et huiusmodi est matrimonium, per quod etiam filius fit pater.

Ad secundum dicendum, quod Jacob alias tenebatur ad faciendum hoc quod mandavit Isaac, tum propter malitiam illarum mulierum, tum quia semen Chanaan de terra quae semini patriarcha promittebatur, erat disperdendum; et ideo Isaac praecipere poterat.

Ad tertium dicendum, quod non jurant nisi illa conditione subintellecta: Si illis placuerit: et ipsi obligantur ad eos bona fide inducendum.

Ad quartum dicendum, quod quidam dicunt,

DISTINCTIO XXX.

De errore qui evacuat consensum.

Nec solum coactio impedit vel excludit consensum, sed etiam error. Non autem omnis error consensum impedit: est enim error alius personae, alius fortunae; alius conditionis, alius qualitatis. Error personae, quando hic putatur esse homo ille, et est alius. Error fortunae, quando putatur esse dives, qui est pauper, vel e converso. Error conditionis, quando putatur esse liber qui servus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus qui est malus. Error fortunae et qualitatis, conjugium non excludit. Error vero conditionis conjugalem consensum evacuat; de qua conditione postmodum tractabimus. Error quoque personae consensum conjugalem non admittit, ut si quis feminam nobilem in conjugium petat, et pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos conjugium: quia non consentit vir in istam, sed in aliam; ut si quis promitteret mihi se vediturum aurum, et pro auro offerret mihi aurichalcum, et ita me deciperet; nunquid diceret consensisse in aurichalcum? Nunquam volui emere aurichalcum: nec ergo in illud consensii, quia consensum non nisi voluntatis est. Sicut ergo error materiae excludit consensum, ita et in conjugio error personae. Sed obicitur de Jacob, qui pro Rachel septem annis servierat, et supposita est ei Lia. Nunquid error personae excludit conjugium, cum non in eam, sed in Rachel consenserit? Sed quod ibi factum est, in mysterio gestum non improbe traditur. Ibi tamen etsi non praecessit, secutus est consensum: nec ex illo consensu qui consensum praecessit, fornicarij iudicantur; cum ille maritali affectu eam cognoverit, et illa uxorio affectu debitum persolverit, putans lege primogenitarum et paternis imperiis se illi iure copulatum. Excusatur etiam, quia Dei consilio in mysterio ita actum est. Hodie etiam excusaretur ille cui inscio uxoris soror lectulum ejus ingressa se subieceret; quae cum sine spe conjugii perpetuo manere censeatur, ille tamen qui cognovit eam per ignorantiam, excusatur; quod per simile probatur. Si enim diabolus transfigurans se in Angelum lucis credatur bonus, non est error periculosus.

quod Papa non potest praecipere alicui quod accipiat episcopatum: quia consensus debet esse liber. Sed hoc posito, periret ecclesiasticus ordo. Nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiae, Ecclesia conservari non posset; cum quandoque illi qui sunt idonei, hoc nolint suscipere nisi coacti. Et ideo dicendum, quod non est simile hinc inde: quia non est aliqua corporalis servitus in matrimonio spirituali sicut in corporali: est enim spirituale matrimonium, sicut quoddam officium dispensandae reipublicae, 1 Corinth. 4, 1: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi.*

Expositio textus.

Legati Principis Jordani retulerunt. Videtur quod non possit fieri matrimonium per interuentios: quia si ante adventum nuntii alter poenitente, non erit matrimonium. — Et dicendum, quod potest aliquis alterum procuratorem constituere ad consentiendum: tamen si ante poenitentiam quae ille consentiat, non est matrimonium nec in rei veritate, nec secundum iudicium Ecclesiae, si aliquibus signis appareat poenituisse. Sed ex quo consensus per interuentios factus est, matrimonium tenet ac si ipse fecisset.

Consentire autem probatur qui evidenter non contradicit. Hoc intelligitur quantum ad forum Ecclesiae: quia quantum ad forum conscientiae, si interior dissentiat quamvis exterior non reclamet, non est matrimonium.

Quod autem vir ille in illam mulierem non consenserit, ex simili ostenditur. Si quis haereticus nomine Augustini vel Ambrosii alicui catholico se offerret, eumque ad suae fidei imitationem vocaret, si ille assentiret, in cuius fidei sententiam dicitur consensisse? Non in haereticorum sectam, sed in integritatem fidei quam ille haereticus se mentiebatur habere. Error vero fortunae consensum non excludit. Quae enim nubit pauperi, putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit. Nec error qualitatis; ut si quis ducet uxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere (1).

De conjugio Mariae et Joseph.

Praemissis aliquid addendum est de modo illius consensum qui inter Mariam et Joseph intercessit. Sane credi potest non solum Mariam, sed etiam Joseph, apud se disposuisse virginatatem servare velle, nisi Deus aliter iuberet; eosque sic consensisse in conjugalem societatem ut uterque de altero, revelante Spiritu sancto, intelligeret quod virginatatem servare vellet, nisi Deus aliter inspiraret. Sed illam voluntatem verbis non expresserant; postea vero expresserant, et in virginatate permanserunt. Consensit ergo Maria in maritale societatem; sed non in carnalem copulam, nisi de eadem specialiter Deus praeciperet, cuius etiam consilio in maritale consensit copulam, quia virginatatem servare volebat; et ideo non aliter consensisset in conjugalem societatem, nisi familiarum Dei consilium habuisset: de qua Augustinus (de Nupt. et Concupiscen. lib. 1, cap. 11 et 12, impletio tamen; et habetur causa 27, qu. 2, cap. 4 Sullit. * §. a Cum ergo, et cap. a Beata Maria *) sic ait: « Beata Maria proposuit se servatorem votum virginatatis in corde; sed ipsum verbum non expressit in ore. Subjecti se divinae dispositioni,

(1) Addit Nicolaus et aliam ducere.

proposuit se perseveratorem virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginatatem suam divinae dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinae inspirationi in utroque obediendo. Postea vero simul cum viro labiis expressit, et uterque in virginatate permansit. »

Quod perfectum inter eos fuit conjugium.

Inter quos, ut ait Augustinus (ubi supra), perfectum fuit conjugium: perfectum quidem non in significatione, sed in sanctitate. Sanctiora sunt enim conjugia pari voto continentium. Unde Augustinus (epist. 109 ad Ecditiam): « Quod Deo pari voto et consensu voveratis, ambo perseveranter reddere debuistis: a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem persevera. Non enim (1) quia pariter temperabatis a commixtione carni, ideo maritus tuus esse destiterat; imo non vero tanto sanctius conjuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis. » Perfectum ergo fuit Mariae et Joseph conjugium in sanctitate. Perfectum etiam fuit secundum triplex bonum conjugii, fidem scilicet, prolem, et sacramentum. Omne enim nuptiarum bonum, ut ait Augustinus (lib. 1, cap. 40, de Nuptiis et Concupiscen.) impletum est in illis parentibus Christi, fides, proles, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum; fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum divortium. Soluti ibi nuptialis concubitus non fuit; quia in carne peccati fieri non poterat sine pendenda concupiscentia carnis, quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui sine peccato futurus erat. Et licet non interessisset conjugalis concubitus, conjuges tamen vere fuerunt mente, non carne, sicut et parentes; quamvis Ambrosius dicat (2) (lib. 1 de Patriarchis, et habetur 27, qu. 7, cap. 1. In omni Matrimonio *) perfectum fieri conjugium per carnalem copulam. « In omni (inquit) matrimonio conjugio intelligitur spiritualis, quam confirmat et perficit conjugiorum commixtio corporalis. » Sed intelligendum est conjugium perfecti commixtione corporali, non quantum ad veri-

(1) Al. deest enim.
(2) Nullibi apud Ambrosium haec occurrit; sed ejujunque sint, vel explicari debent ut hic, vel non curari (Ex edit. P. Nicolai).

Divisio textus.

Postquam ostendit Magister quod consensus matrimonii impeditur per coactionem, hic ostendit quod impeditur per errorem; et dividitur haec distinctio in partes tres: in prima determinat de impedimento erroris: in secunda de consensu qui fuit in matrimonio B. Virginis, ibi: *Praemissis aliquid addendum est*; in tertia de causa finali matrimonii, ibi: *Expositio quae sit efficiens causa matrimonii, consequens est ostendere ob quam causam solvat vel debeat contrahi matrimonium.* Circa primum tria facit. Primo ostendit quis error matrimonium impedit: secundo obicit in contrarium, ibi: *Sed obicitur de Jacob etc.*; tertio solvit, ibi: *Sed quod ibi factum est, in mysterio gestum non improbe traditur.*

Praemissis aliquid addendum est. Hic determinat de consensu quod fuit in matrimonio B. Virginis; et circa hoc duo facit: primo ostendit ejujmodi consensus ille fuit; secundo ostendit quod matrimonium illud fuit perfectum, ibi: *Inter quos, ut ait Augustinus, perfectum fuit conjugium.*

Expositio quae sit efficiens causa matrimonii etc. Hic determinat de causa finali matrimonii; et primo de causis matrimonii in generali; secundo de causis matrimonii B. Virginis, ibi: *Habuit autem conjugium Mariae et Joseph alias causas speciales.* Circa primum duo facit: primo ponit causas finales matrimonii, et principales et secundarias; secundo excludit er-

rorem vel sanctitatem conjugii, sed quantum ad significationem: quia perfectius unionem Christi et Ecclesiae tunc figurat.

De causa finali conjugii.

Exposito quae sit efficiens causa matrimonii, consequens est ostendere ob quam causam solvat vel debeat contrahi matrimonium. Est igitur finalis causa matrimonii contrahendi principalis procreatio proles. Propter hoc enim instituit Deus conjugium inter primos parentes, quibus dixit (Gen. 1, 28): « Crescite, et multiplicamini. » Secunda est post peccatum Adae vitatio fornicationis; unde Apostolus (1 Corinth. 7, 2): « Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, » et unaquaeque habeat virum suum. « Sunt et aliae causae honestae, ut inimicorum reconciliatio, et pacis reintegratio. Sunt etiam et aliae causae minus honestae, propter quas aliquando contrahitur, ut viri mulierisque pulchritudo, quae animos amore inflammatos saepe impellit finire conjugium, ut valeant suum explorare desiderium. Quaevis quoque et divitiarum possessio frequenter est conjugii causa; et alia multa, quae eumque diligentiam adhibenti facile est discernere. Non est assentiendum illis qui dicunt, non esse conjugium quod propter has causas minus honestas contrahitur. Constat enim ex praemissis conjugium fieri ex communi consensu verius de praesenti expresso, quamvis amor ad hoc atraxerit. Cujus rei documentum praestat Jacob (Gen. 29), qui Rachel dorem facie et venusto aspectu amavit: eamque multum diligens ait: « Serviam tibi pro Rachel septem annis. » In Deuter. 21, 11, etiam legitur: « Si videris in medio captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque uxorem habere; introduces eam in domum tuam etc. »

Quod malus finis non contaminat sacramentum.

Et licet fine non bono contrahatur conjugium, quando species contrahentis movet animum, conjugium tamen bonum est: quia vita mala vel intentio perversa alienius, sacramentum non contaminat. Habuit autem conjugium Mariae et Joseph alias causas speciales, scilicet ut Virgo solatio viri sustentaretur, et ut diabolo partus relateretur, et ut Joseph esset testis castitatis, defendens eam ab infamia suspitionis, ne ut adultera damneretur.

rorem, ibi: *Nec est assentiendum illis qui dicunt, non esse conjugium quod propter has causas minus honestas contrahitur.* Ubi duo facit: primo ostendit quod malus finis non facit quod non sit matrimonium; secundo ostendit quod non facit quod non sit matrimonium bonum, ibi: *Et licet fine non bono contrahatur conjugium, quando species contrahentis movet animum, conjugium tamen bonum est.*

QUAESTIO I.

Hic est duplex quaestio. Prima de matrimonio in communi. Secunda de matrimonio beatae Virginis.

Circa primum quaeruntur tria: 1.º utrum error de sui natura matrimonium impedit; 2.º quis error; 3.º de causa finali matrimonii.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum error debeat poni matrimonii impedimentum per se.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod error non debeat poni matrimonii impedimentum per se. Consensus enim, qui est causa efficiens matrimonii, impeditur sicut et voluntarium. Sed voluntarium, secundum Philosophum in 5 Ethic., cap. 7, ponitur impediri per ignorantiam, quae non est